



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Augustus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

filiis : Gratulemur & matri Romanæ  
Ecclesiæ, &

*Instructio meritoria.*

Jubilemus hodie in Domino, intonan-  
do *Te Deum Laudamus*. Et ut inclyta  
societas in spiritu, zelo, & fervore crescat  
Apostolico, sacramentalem Commu-  
nionem cum operibus totius diei SSS.  
Trinitati offeramus. Decet in Deo co-  
lere, & venerari sanctos, præsertim Pa-  
tres multorum filiorum Christo, & cœlo  
renatorum.

AUGUSTUS.

Festum S. Petri ad Vincula.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**lli! libertatem nobis dedit Deus. At-  
tendamus, ne perdamus peccan-  
dò, sicque voluntariè in servos diabolo  
nos mancipando. Servitute hac quid  
infelicius? Ut evitarent Sancti, quid non  
egerunt? Quantum vitæ rigorem in se  
non susceperunt? Et servitutem adeò  
amaram ac flebilem nos (ô cœcitas!)  
sponte quærimus, & quæsitam diligi-

T mus?

mus? Ah! rumpamus tandem vincula  
captivitatis adeò miseræ, deplorandæ!

*Instructio meritoria.*

Rumpamus, hodie in principio statim  
resistendo omni perversæ cupiditati, &  
exurgenti ad illicita inordinato, ac in-  
frunito desiderio cum generoso dicto  
*Non serviam* carni, oculis, corpori: sed  
Deo, & gratiæ. Id quod uno, vel alio  
modo mortificationis corporalis, aut ab-  
negationis actu probemus. Pro libertate  
spiritûs sanguini parcendum? Recitetur  
Psalmus: *In convertendo.* In servitio  
Divino summa libertas.

II.

**R**em miram! Petrus dormit, dum  
jacet in vinculis. En! veram ho-  
minis effigiem! Peccamus sæpiùs, & in  
peccatis ipsis dormimus quieti, nec vin-  
cula sentimus, vel si sentiamus, etiam  
placent, quia splendent aut inani vani-  
tate, aut momentaneâ voluptate. Quid  
autem cum anima? O si intueremur  
quot compedes, quot vincula non in ea  
deprehenderemus! Doleamus, expen-  
giscamur, & attoniti cum S. Augustino di-

dicamus : *Vinctus eram ; vincula non horrebam ; amarum dulce, & dulce amarum putabam.*

*Instructio meritoria.*

Estne, quod nostram torquet conscientiam? Citò excutiamus aut Confessione Sacramentali, aut contritione efficaci. Hanc ut roboremus, simul statuamus, id, cujus nos poenituit ad noctem, sequenti die seriò emendare memores illius : *Tanti non emam poenitere.* Neque unquam ibimus ad lectum nisi antea quinque *Pater & Ave* cum Psalmo *Miserere* pro beata, & quæta morte recitaverimus. Pietate fatalis excutitur somnus peccati.

III.

**D**ormientem Petrum excitat Angelus, quem & secutus est Apostolus. Ad veram conversionem mi fili, ut veniamus, excitantem Dei gratiam invocemus, & datæ promptè, ac hilari-ter obediamus. Nihil enim possumus sine gratia; cum illa autem omnia.

*Instructio meritoria.*

Ad signum salutationis Angelicæ nos

**T 2**

habea-

436 II. Augusti. B. V. M. de Portiuncula.

habeamus devotissimè, præsertim à ma-  
nè. Dum dicimus : *Ave* : Recorde-  
mur Mariæ ; quia *gratia* plena. Com-  
mendemus ei, quoties hoc signum datur  
per diem, nuditatem animæ nostræ, ro-  
gantes, ut cum Dei gratia sanctè vivere  
& quondam suaviter ex hac vita ad æter-  
nitatem discedere liceat. Dilectè! fi-  
simus gratiæ, non iræ, & furoris Do-  
mini. Hinc oremus in veneratione  
Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ  
*novies Magnificat.*

Solemnitas Beatissimæ Virginis  
Mariæ de Portiuncula.

EXHORTATIUNCULA I.

**S**ic Jesus, & Maria dilexerunt mun-  
dum, ut hodie gratiam darent in-  
auditam, & indulgentiam concederent  
plenariam, ac omnium peccatorum re-  
missivam. Quid pro nostra salute, &  
spirituali consolatione exoptabilius?

*Instructio meritoria.*

Dies gratiæ, dies hodierna. Utamur  
pro anima. Dimittamus opera tenebra-  
rum, & exerceamus opera lucis, vel dan-

dō eleemosynas pauperibus, vel modestiæ & taciturnitatis exempla fidelibus, vel adhibendō mortificationem, ac continentiam in nostris sensibus. Unum est necessarium, vivere Deo, & mori corrupto homini, atque peccato. Pro huius satisfactione recitemus septem Psalmos pœnitentiales. Hæc pœnitentia o quàm levis respectu etiam peccati venialis!

II.

**D**Eus clamat hodie de S. Tribunali :  
*Venite ad me omnes ! Ecce ipse*  
(ait S. Greg.) *quem despeximus, vocat nos.* Ecce ! ipse invitat, veniam, antequàm rogetur, offert, gratiam, antequàm supplicetur, largitur, & communicat. Hominem exuit, qui tantam misericordiæ abyssum non adorat, & obstupescit.

*Instructio meritoria.*

Veniamus, & curramus ad pedes Jesu !  
fili amandissime ! Veniamus ; sed non sine munere. Hodie saltem statuamus, hanc, vel illam, quâ toties offendimus, & contristavimus Deum, deserere occasionem, & ut eò securiùs effugere queamus,

T 3 mus,

mus, talem nobis eligamus Confessarium, cui constanter nostram impostorùm concedamus conscientiam. Hoc ad unum Confessarium constans confidentia id poterit contra scelera, quorum multorum fortè non evicere consilia, & monita. Probatum est! Officium nostrum oremus de SS. corde Jesu.

## III.

**S.** Franciscus, hic Vir, hic Seraphicus fuit, qui periclitanti hodie succurrebat sæculo, mirabili suâ sanctitate, & vitæ meritis. Ecce! flectit coram Jesu. Lacrymatur coram Maria, & clamans suspirat: *Sancta Maria! Succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles.* Respexit Deus humilitatem servi, & plenariam oranti Sanctissimo Patri dispensat indulgentiam pro omnibus hodie in templo Mariæ de Portiuncula seriò, & verè poenitentibus. Verè diem, quam fecit Dominus! exulemus, & lætemur in ea!

*Instructio meritoria.*

Flectamus & nos genua versùs quatuor mundi partes, & oremus pro conversione

versione, & pœnitentia gravissimorum peccatorum, supplicantes Dominum, ut vel hodie his concedat gratiam peccata corde contritò confitendi, & pro confessis, quantum fieri possibile, dignè satisfaciendi. Et ò fili! quia peccatores plerumque pœnitentias horrent, quid si partem unam satisfactoriam, quam illi deberent Deo, in nos suscipere, & in nostro corpore aliena dilueremus debita? O quàm insigne hoc foret opus charitatis! & quid illud, ut non præstemus? Si caro & pellis propria, sciamus, nos nihil adhuc didicisse in schola Christi de sancta charitate: Hæc enim benigna est, & omnia suffert. Pro aliquo tamen amoris obsequio *quinque psalmos* de Nomine Mariæ dicamus, ut peccatores non deserat.

Festum Inventionis Miraculosa  
Protomartyris S. Stephani  
Levitæ.

EXHORTATIUNCULA I.

**P**rofectò est cura Deo de servis, & amicis suis! Corpus S. Stephani diu  
T 4 jacuit



440 III. Augusti. Inventionis S. Stephani.  
jacuit in loco turpi, & sordido. Tandem prodidit cœlum prodigiô. Quomodo mundus abiicit, suscipit, & exaltat Deum. Corpus nostrum terræ debetur, animæ cœlo. Cavendum duntaxat, ne inter transitoria sordescat.

*Instructio meritoria.*

Quotidie imus in lectum: Quam cogitatione? Hâc sanctissimâ: Nimirum stantes ante lectum elevemus oculos, & aspiciamus Cœlum, & ingemiscamus: *Quam sordet mihi terra, dum cœlum aspicio.* Dein ad nos ipsos: Corpus! En! jam paratus tibi est tumulus: Ingredere. Anima! expectat & te ibi gloriæ thronus: Quid eligis? In fine subjungamus *Te Deum Laudamus* cum Simeonis Cantico: *Nunc dimittis &c.*

II.

**P**RODIGIOSA hodierna prorsus fuit inventio. Flores enim sacro corpori admoti, cœcæ visum restituerunt. Non dedissent, si Sancti corpus non tetigissent. O chare! hos odores spargit puritas, & mundities cordis: Volumus & nos esse bonus odor Christi, & Mariæ.  
Ergo

Ergò sanctitas morum, & innocentia vitæ in una sede & animâ nostra morentur.

*Instructio meritoria.*

Ni assiduo pœnitentiæ, Eucharistiæ, & macerationis studio nos impendamus, quotidie periclitabitur in fragili, & vitili vase, seu corpore tenera, ac delicata puritas. Nulla proin transeat septimana, nullum solemnius festum, ubi vim sanctam, & impetum spirituales non sentiat, & experiatur impudens, & rebellis caro. Huic enim quid debemus nisi paleas, & verbera? Generosi in corpus ut evadamus, SSS. Trinitati à manè duos appetitus concupiscibilem, & irascibilem humiliter commendemus, subjungendo *Tria Pater, & Ave* cum symbolo Apostolico: *Credo*. Scit SSS. Trinitas, quid corpori, quid & nostræ necessarium animæ. Miserebitur invocationum.

III.

**D**olenda res! Sanctorum exuvias, viva sanctitatis instrumenta humana abjicit crudelitas. Ast honorat, &

**T** ; vene-

442 III. Augusti. Inventionis S. Stephani.  
veneratur Deus, & è tenebris ad lucem  
à luce ad aras splendidas, ab aris ad pub-  
licam devotionem, & reverentiam pro-  
ducit, & erigit. Ita in servis suis con-  
solatur Deus. Nam corpora Sancto-  
rum in pace sepeliuntur, & nomina eor-  
um vivunt in æternum.

*Instructio meritoria.*

Transimus templa, ecclesias vel em-  
nùs, vel cominùs, quantocys nos re-  
colligamus, sensus contrahamus, & in  
templa omni devotione suspiciamus  
cum salutatione devotissimâ: *Salvete  
quotquot in hac ecclesia cum Deo, &  
Maria quiescitis! Salvete, meique per  
hanc lacrymarum vallem ad optatam  
æternitatem inseparabiles estote comi-  
tes.* Mox ex Cursu Mariano recitemus  
Antiphonam: *Sancti Dei omnes inter-  
cedere dignemini pro nostra, omnium  
que salute.* *ÿ. Lætamini in Domino,  
& exultate justi: 1x. Et gloriâmini omnes  
recti corde.*

*Oremus.*

Protege Domine populum tuum &c.  
O felices viatores, qui in duces itineris  
invo-

invocant, & invitant pios, & sanctos  
Cœlites. His ductoribûs errabimus  
nunquam.

Dies Solemnis Magni Pa-  
triarchæ, & Fundatoris Ordinis celeberrimi  
Prædicatorum Sanctissimi Pa-  
tris Dominici.

EXHORTATIUNCULA I.

**M**irum quantum ab ipsis incunabulis  
pietatem, pœnitentiam, & tem-  
perantiam coluit S. Dominicus, quibus  
& Deus jam in prima ætate multa addi-  
dit prodigia. Non Deo acceptius sacri-  
ficium, quàm si vitæ primitiæ ei impen-  
dantur ex integro. Nos cujus nostras  
consecravimus? Vel adhuc consecra-  
mus? Aut in quo vitæ nostræ consumi-  
tur cursus? Væ tempori, quò non ama-  
vimus Deum!

*Instructio meritoria.*

Quia fortè recordati non sumus ha-  
tenus delictorum juventutis nostræ,  
nescimusque, an in primo rationis usu  
actum fidei, & Amoris in Deum elicue-  
rimus? Id pro majori securitate hodie

præstemus. Ad S. Tribunal dolentes nos accusemus de fragilitate primæ adolescentiæ ; Ad Mensam autem Domini toti diffluamus in actibus charitatis. Compensabitur hac pietate negligentia prima. In satisfactionem illius *psalmi* *graduales* persolvamus.

## II.

**S**Ancti Patris Dominici tantus fuit amor, & commiseratio, non modò pro Christianis, sed & infidelibus ac æternùm damnatis copiosas lacrymas, & sanguinem funderet sua quotidianâ trinâ flagrorum disciplina. Quid nos agimus? Fili dilecte! Cur non & ad Deum clamamus: *Domine Jesu da mihi animas! sitio.* Vel unam lucrari est sibi foenerari & aliis coelum.

*Instructio meritoria.*

Quot animæ non sunt in periculo damnationis perpetuæ? Fili! Jesum diligimus? Fratres hujus sumus omnes. Ergò periclitantibus succurramus, & quotidie pro eorum salute, pœnitentiâ, & conversione unam, eamque extraordinariam visitationem instituamus, ad-

dendò

dendō in fine *septem Pater & Ave* cum  
psalmo *Miserere*. Sic tessera nostra S.  
Pauli charitas. *Omnibus omnia factus*  
*sum, ut omnes facerem salvos.* 1. Cor. 9.

## III.

**S**. Catharina Senensis videt in raptu  
Patrem Cœlestem, & in hujus Cor-  
de quiescentem Jesum & S. Dominicum  
sub hac voce: *O filia! vides in corde*  
*meo hinc Jesum, inde Dominicum.* Sed  
unde tanta D. Dominico gratia? A zelo  
Divini Honoris. Cor Patris æterni  
apertum est! Fili! ibi nos expectat Jesus.  
Quando intrabimus? Defendamus De-  
um verbō, & exemplō; Plus tamen  
exemplō: Et requiescemus in pace.

*Instructio meritoria.*

Occasio promovendi honorem Divi-  
num non deest. Sumus quotidie inter  
homines. O si modesti in oculis! Si  
cauti in colloquiis! Si graves in mori-  
bus! Si circumspecti, & attenti in sensi-  
bus singulis! Quantum inde cresceret  
amor erga virtutem, & fervor erga De-  
um, & ea, quæ Dei sunt. Taliter si non  
vivamus? Quid mirum, si vitia amen-

T 7

tur,

cur, si scandala multiplicentur, si gratiæ, & virtutes abjiciantur, & vilipendantur. Ecce! Quot, & qualia damna ex vita minùs Christiana? Ut verò Deus in hoc Sacratissimo magni Dominici Ordine, tanquam in sua electa vinea zealous indies excitet operarios, contra omnia mundi vitia & scelera, recitemus *Lytanias de omnibus Sanctis*. Lucrum animarum grande Dei donum est. Non datur nisi desurfum.

Festivitas Beatissimæ, ac Intemeratæ Matris Castissimæ Virginis Mariæ ad Nives.

## EXHORTATIUNCULA I.

**F**estum hoc, festum castarum meritum est. Cecidit nix hodie, dum calor, & æstus maximus. Sic ordinavit Maria. Ardeat cupido, inflammetur carnis prurigo! Non timeat puritatis candor, si nobis in amore Mater pulchræ dilectionis. Servavit hæc tot Virgines in carne: Servabit & nos, si constantes fuerimus in cultu, & devotione Mariæ. Casta non deseret castos.

*Instructio meritoria.*

Candori Virgineo si sensibus vel modicè nocuerimus, sine mora satisfaciamus fili! aut jejunandò aut in ecclesia; vel cellula per quadrantem nos abscondendò, & recolligendò; aut actum mortificationis, ac rigoris in corpore exercendò. Ter repetemus illam formulam speciosam signantes cor nostrum: *Per Sanctam, & Immaculatam Conceptionem tuam emunda corpus, & animam meam in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Inspiciamus hoc puritatis speculum: Brevè erimus sine macula.

II.

**Q**uis Mariam non diligat, cui tota SSS. Trinitas est devotissima? Amorem, quando ò fili! probabimus & nostrum? Utique hac die? Sequamur igitur Joannem Patritium Romanum, qui destitutus omni prole, omnium suarum opum hæredem scripsit Mariam. O quàm ingeniosus est amor!

*Instructio meritoria.*

Sunt & nobis multa tum naturæ, tum gra-

gra-



gratiæ bona. Quis hæres eorum? Post  
Deum sola Maria, Mater dignissima  
Quoties igitur de hoc incidit festivitatem  
per annum, toties per renovationem  
nostræ votivæ formulæ corpus, & ani-  
mam servitio Mariano subscribamus  
hancque donationem Rhythmo illò de  
votissimò claudamus: *Omni die dic Ma-  
ria mea laudes anima! Ejus festa, Eju-  
gesta cole devotissima &c.* Abyssus  
Maria in Bonitate, & misericordia: Quo-  
non deprædicet?

## III.

**H**eu! quantam turpitudinem inve-  
xit in animam fatale peccatum  
Maria, quia tota pulchra, & sine omni  
macula, emundare nos vult ab ea. Jam  
lactea, nivea, ac virginea nobis pandit  
ubera, ut peccata nostra super nivem de-  
albantur. Fili mi! quid moramur? Pro-  
peremus! Bibamus! Sugamus ab ubere  
Matris lac sancti pudoris. Sic tandem fi-  
nis turpitudinis nostræ!

*Instructio meritoria.*

Sed quando? Hodie! promittendò  
videlicet Beatissimæ Virgini, nos nun-  
quam

quam ampliùs ex pura, & sordida, ac ve-  
cordi negligentia preces Marianæ soda-  
litas neglecturos, aut omissuros; quin  
manè ad primum excitationis, & Ange-  
licæ salutationis signum statim ex lectulo  
nos provoluturos in terram, & Coeli Re-  
ginam hâc primâ corporis victoriâ ceu  
Matrem, & Magistram puritatis, & In-  
nocentiæ Virginalis gloriosè veneratu-  
ros. Obduratum est cor, quod amor  
non emollit, & commovet Mariæ. Non  
sic! non sic nobiscum! ô clemens! ô  
pia! ô dulcis Virgo Maria! addamus  
Cursum Marianum pro castitate perpe-  
tuanda. Hæc est voluntas Mariæ, San-  
ctificatio nostra.

Titulare Venerabilis Imaginis  
Beatissimæ Virginis sine labe Conceptæ,  
quæ mirabiliter colitur Wessof-  
fonti.

EXHORTATIUNCULA I.

**M**Ariæ sumus filii! ô quanta digni-  
tas! & quidem Matris sine labe  
conceptæ. O qualis gratia! Vivamus  
igitur tam purè, tam sobriè, & sanctè, ut,  
quot-

quotquot homines nos observaverint  
mores Mariophili sine macula deprehe-  
dant. *Qualis mater, talis & filius.*

*Instructio meritoria.*

Grande sub Immaculata Concep-  
tione latet supremi Regis Sacramentum  
Scrutari periculosum est, venerari, &  
humilitate cordis adorare, sanctissimum  
Manè excitati affectu quàm ardentissimè  
suspiciamus coelum, & laudantes suspi-  
remus : *Centies millies laudetur Sa-  
ctissimum immaculatè concepta Vir-  
ginis Mariae Mysterium.* Per diem  
vies dicamus : *Magnificat anima mea  
Dominum.*

II.

**M**Aria sine macula! O nomen! Sub  
quo contremiscunt inferi, & om-  
nes hominum inimici. Fili! quòd in  
carne steterimus incorrupti, quòd in  
pericula immoti, quòd à telis & insidiis  
satanae securi : An non grande fuit be-  
neficium Immaculatae Matris, cui No-  
men, cui vitam, cui nostra subscripsi-  
mus, & consecravimus omnia? Mariam  
sine labe conceptam colere, semper vine-  
cere.

cere, & triumphare est. Oculi vitium est, in speculo videre maculam.

*Instructio meritoria.*

O quanta hodie Wessofonti devotio! quot millia hominum per sinceras confessiones, & sacramentales Communiones ad aram Speciosissimæ Virginis sua offerunt pectora pro defensione tanti Mysterii! Dilecte! Recordemur & nos Matris nostræ! Fidem huic nostram renovemus, & vel in templo, vel in cubiculo (ardentibus etiam luminibus) formulam Marianam depromamus, quam claudet hymnus: *Te Deum Laudamus*. Amoris est, operari ubique.

III.

**S**odalitas Immaculatæ Conceptionis quid petit à nobis? *quinque Ave*. O modicum charitatis obsequium pro Maria, SSS. Trinitati gratissima! Verùm & hæc *quinque Ave* oravimus quotidie? Negleximus, si sine fervore, ac devotione. O invidum Satanam! Etiam minimum ergà Beatissimam Virginem sine labe conceptam amoris affectum ut impediret, quid non attentavit sæpiùs?

*In-*

*Instructio meritoria.*

Fili Amandissime! Nunquid nos igno-  
 experti sumus? Et cum quanto corde  
 vulnere? Negligentias tamen nostras  
 pedes Intemeratæ Deiparæ deponamus  
 & ut hujus cultu, & institutâ mirabilitate  
 ejus Sodalitate amor, & veneratio erigatur  
 Immaculatam Conceptionem ubique  
 crescat, fructusque producat centesimo  
 præsertim in cordibus peccatorum  
 omni turpitudine, & impietate vive-  
 tium, totum Marianum *Psalterium*, *Se-*  
*ntentia SS. Rosaria* propter quindecim *SS.*  
 Mysteria hodie persolvamus, & per Ma-  
 nus Jesu, ac Josephi Mariæ offeramus.  
 O quàm gratum hoc Matri munus erit  
 Suscipiet sine dubio, & dabit, quod peti-  
 nostra devotio.

Transfiguratio Admirabilis Do-  
 mini Nostri Jesu Christi.

## EXHORTATIUNCULA I.

**S**Tat Jesus Transfiguratus in monte  
 stat glorificatus in oculis discipulo-  
 rum! Cur in monte? Cur coram solis  
 & paucis discipulis? Id factum pro no-

VI. Augusti. Transfigurationis D. N. J. C. 453  
strâ doctrinâ. In Christum, seu homi-  
nem novum transfigurari oportet, ô di-  
lecte! Quid ergò nobis cum turba ho-  
minum? Quid inter hæc infima, & ter-  
rena? Procul à negotiis sæculi! A mun-  
danis scandere jubemur ad cœlestia. Ibi  
est Jesus; quæramus sedentem à Dextris  
Dei.

*Instructio meritoria.*

Quæ hodie Petro, Joanni & Jacobo,  
hæc & nobis offertur gratia. Uteò feli-  
cius, certiùsque impetremus, vel hodie  
nullis sæculi curis, & nimium distracti-  
vis negotiis implicemur. Solitudinem  
diligamus, & ex hodierno Evangelio af-  
fectuosam menti nostræ proponamus  
considerationem. Pro contemptu sæcu-  
li, & desiderio cœlestis regni orabimus  
Psalmum: *Quam dilecta tabernacula  
tua Domine &c.* Sordet terra! Arrident  
æterna!

II.

**U**Nde tam beata his tribus Apostolis  
Visio? A spiritu fortitudinis, &  
Christianæ magnanimitatis. Læti enim  
cum Jesu ascenderunt montem: Hilares  
vi-

vicerunt primam difficultatem. Ecce  
causam hodiernæ felicitatis! Stat mo-  
multæ virtutis, ac magnæ sanctitatis  
te oculos. Non terreamur! Jesus pro-  
cessit. Sequamur strenui, & prima ob-  
stacula pede generoso conculcema-  
Sic sic videbimus Deum de Deo, lumine  
de lumine.

*Instructio meritoria.*

Quot difficultates? Quot tede-  
Quot & fastidia nobis viam perfectionis  
ambulantibus non objicit misera natura  
propria? Vim vi repellamus, ac  
quosdam heroicis recalcitranti direc-  
oppositos exerceamus, Patrique spiri-  
tuali ad benedicendum offeramus. Ex-  
periemur, quòd adhuc medium, re-  
bellem reprimendi, & edomandi. Non  
differamus! Quod necessarium seme-  
moras non patitur. Pro tali victori-  
desursus obtinenda oremus officium  
de dulcissimo Nomine Jesu! Quot hi-  
verba, tot inde nobis sunt arma fortissi-  
ma.

III.

Illis manifestat Jesus suam gloriam, quos maxima expectabat afflictio, Crux, & Passio. Dolorem inde attemperavit spe melioris vitæ. O Amice! Non dejiciamur animò, si variis afflictionibus, pressuris, & ærumnis visitemur à Domino; Christus utique non terrenam, sed æternam, & cœlestem nobis promisit felicitatem? Sic D. Augustinus: *Quid tibi promisit Christus? Si felicitatem hujus sæculi: murmura, quod non dederit.*

*Instructio meritoria.*

Absit, ut murmuremus! tetigit nos manus Domini! Gaudeamus, ambobus brachiis quendam Crucifixum stringamus, vulnera illius Sanctissima dulciter exosculemur, & quiescentes inter dulcia oscula dicamus psalmum: *In Convertendo Dominus Captivitatem Sion.* O quàm bellè! Quàm & jucundè eructabit cor nostrum ultima psalmi hujus verba: *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua; Venientes autem venient*



*venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

**Festum Beatissimi & Sanctissimi Cajetani Viri Apostolici, & Insignis Theatinæ Familiæ Patris, ac Fundatoris zelosissimi.**

**EXHORTATIUNCULA I.**

**E**Cce! Filius Mariæ! Ecce! Frater Jesu Filius, quia à die Nativitatis jam à Matre oblatus est Deiparæ. Frater, quia vitam paupertatem, & inopiam rerum à Matre coelesti hæreditavit cum Christo Jesu qui seipsum exinanivit, ut ditaret hominem. Ut S. Cajetanus, sic ò dilecte Mariæ & nos debemus vivere filii Mariæ, & fratres Jesu: filii exprimendò Mariam in puritate, & moribus; Fratres, assumendò nuditatem Crucifixi juxtà Christi mortem: *Exemplum dedi vobis.*

*Instructio meritoria.*

Et hoc non impossibile. Maria non deseret filios: Nec Jesus Fratres sibi charissimos. Tales ut nos omni proberimus tempore, Crucifixus perpetuus sit pendulus à collo, nec unquam inter homines



ubi occurrit defectus vel in victu, vel in vestitu, mentem elevemus ad Deum, Jesu paupertatem consideremus, & nos contentissimos probemus, in omni defectu gratias agendò per psalmum: *Benedic anima mea Domino, & omnia quae intra me sunt, Nomini Sancto eius.* Hodie verò ut illustris Theatinorum Familia viros ulteriùs pariat apostolicæ ecclesiæ, offeramus omnia totius diei opera S. P. Cajetano. Dabit & nobis indigentibus suum, & suorum ardentem spiritum.

## III.

**P**Ræceptum Domini est: *Quærite primùm Regnum Dei, & Justitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis.* Intellexit optimè S. Cajetanus. Inruemus, quàm mirabili Dei vivant providentiâ hujus dilecti filii. Perversus est vivendi modus, quærere primò bonum sæculi. Quæremus, sed haud inveniemus pro satietate; Imò cum his Deum, coelum, omnia perdemus. O perditionem! & hanc propter nihilum! Quis stolidius?

*Instructio meritoria.*

Cupiditas habendi, & possidendi, malum malorum gravissimum. Et cui non dominatur? Quis ille, & laudabimus eum? Supprimere oportet. Quomodo? Exercitio contrariô. Si insurgat; si denuo cor inflammet, citò sedeamus, & scribamus: *O quàm sordet mihi terra, dum cælum suspicio.* Denique ut liberemur, ad elevationem pretiosi Corporis, & Sanguinis sub sacrificio Missæ, à Jesu Eucharistico has petamus gratias: 1. *adicatum horrorem omnis peccati.* 2. *Contemptum perferendum sæculi.* 3. *Mortem omnis improbi desiderii, & seraphinum amorem Dei.* O tempus quàm acceptabile ad impetranda dona maxima illud est, dum stat, & orat in templo sacerdos.

**Festum Sanctæ Afræ, Martyris gloriosæ, & Protectricis Augustanæ Civitatis potentissimæ.**

**EXHORTATIUNCULA I.**

**Q**uàm verum illud: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.*

U 2

vivat.

*vivat.* Afram consideremus. Nónne erat in civitate peccatrix? Prostibulum publicum? Sed ubi modò? Triumphosa inter Martyres, & Ecclesiæ protectrices. O quanta vocantis, & eligentis Dei Bonitas, & Misericordia!

*Instructio meritoria.*

Ut & aliis eveniat peccatoribus huiusmodi singularis gratia, statuamus vel hodie Festa Conversionis S. Pauli, S. Mariæ Magdalænæ, & Afræ quotannís quàm devotissimè venerari, etiam, si locus, vel tempus admittant, extraordinariam Confessionem, & S. Communionem instituendò, nos ob neglectos tot instinctus Spiritûs Sancti, quibus ad specialem facilitatem à Deo sæpiùs excitati fuimus accusandò, & regularem quandam penitentiam præter sacramentalem augendò, aut sibi ipsi cum præscitu Patris spiritualis dictandò. Et hoc est ferre conari ad sui conversionem, & vitæ reformationem.

II.

**V**erba movent, exempla trahunt dilecte! Quid agimus? Afræ Ve  
net

neri paulò antè addictissima, pietate, & modestiâ S. Narcissi clanculò observatâ, subitò immutatur, sectam detestatur, Venerem execratur, se Christianam profitetur, & ad ignem applicata lætatur. Exempla bona, & sancta non desunt. Quid ergo? Prompta invitandi voluntas. Jam sancti essemus, si in odorem curreremus virtutis, & alienæ sanctitatis.

*Instructio meritoria.*

Imitemur S. Narcissum. Modestiâ morum, gravitate corporis, & devotione spiritûs, ac orationis lucratus est deperditam Afram. Vincamus naturam corruptam, & quia horret nimum in Ecclesia, vel coram Sanctissimo, aut exercitiis sacris quietò corpore, erectis in cælum manibûs, & oculis angelicè compositis, aut penitus clausis flectere, precésque peragere, hoc ipso rebellanti heroicè occurramus. & ad omnem modestiam adstringamus. Jesus utique præcepit: *Sint lumbi vestri præcincti.* Dantur astuti, & expolliti politici, ut decipiant: Cur non & exemplares Chri-

stiani, ut prædam rapiant Christo Jesu  
acceptissimam ?

## III.

**S**. Narcissus verba Evangelii erranti  
S. exponit oviculæ, Afræ in via salu-  
tis periclitanti: Et en! Capitur felicissi-  
mè. SS. Evangeliiis, Bone fili! credi-  
mus, & his conformiter non vivimus!  
O pudor! Nam de nobis illud verifica-  
tur Salviani: *Christi Evangelia legunt,  
& impudici sunt; vitam improbam  
agunt, & legem probam habere se di-  
cunt.* Verè confundimur ab Afræ!

*Instructio meritoria.*

Unde fit, quòd ex divinis, legibus  
non vivamus? Ex eo, quia rarò, imò  
nunquam cum debitâ devotione, & hi-  
laritate colloquia sancta audimus, vel li-  
bros spirituales volvimus, aut sanctis  
attendimus Evangeliiis. Quid consilii!  
quotidie quandam S. Evangelii verita-  
tem seligamus fortè in divino auditam  
officio, selectam aut januæ, aut pulpito  
suspendamus. Mos iste Sanctorum  
fuit. S. Francisco placuit: *Deus meus  
& omnia.* S. P. Benedicto: *Ut in omni-  
bus*

*bus glorificetur Deus. S. M. Theresiæ:  
Aut pati, aut mori. Nobilem industriam?  
modò non ita raram! Officium minus  
de Spiritu S. oremus.*

Festum S. Alberti ex S. Ordine  
Mariano Patrum Carmelitarum  
Provincialis vigilantissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**N**udum Christum nudus sequi, ni-  
mis difficile est; Tamen per Dei  
gratiam possibile. Secutus sic est S. Al-  
bertus, abdicatò patrimonio longè pin-  
guissimò. Quò motivò? Quia didicit,  
veram felicitatem in hoc mundo non  
esse aliam, quàm parùm, vel nihil ha-  
bere. O dilecte! Unde tœdia? Unde  
anxietates? Mille timores, & labores  
unde? Nónne ex divitiarum, & rerum  
creatarum possessione inordinatâ?  
*Vera divitie sunt paupertas divitiarum.*  
Clemens Alex.

*Instructio meritoria.*

Propter nos egenus factus est Chri-  
stus, cùm esset dives in omnibus, ut il-  
lius inopiâ nos essemus divites. Si bo-



na, si divitias non possideamus, adhuc habemus, quod prorogemus pauperi Jesu: Cuilibet cibo, præcipuè si pretiosior, unam, vel alteram subtrahamus buccellam cum dicto: *Esurit Jesus in pauperibus: Et ego tam opipare nutrior! Absit! pasco Jesum, & hanc mortificationem appetitûs offero.* Ter recitemus Rhythmum amoris: *Anima Christi sanctifica me.*

## II.

**O** Alberti humilitatem! Ordinatus in sacri ordinis Provincialem, manu bacculum, humeris manicam gestans, commissam sibi provinciam pedes obibat. Miramur hunc spiritum. Sed & imitari satagamus tempore, quò nos ad subveniendum invitat Charitas.

*Instructio meritoria.*

Sæpe ex obedientiæ, & charitate sumus constituti in via, & itinere, ubi non modica sustinenda tum animi, tum corporis molestia. Patiamur oblatam, vel absentem ultrò quæramus, eundò pedibus, dum occasio vehendi in curru, vel frigus, & æstum cum sudore Deo refle-

xè donandò illis verbis : *Domine! omnia propter te.* Vel defectum in famulitiis sufferendo, nósque ipsos nobis, & aliis famulos exhibendo, memores illius: *Non veni ministrari, sed ministrare.* Pro hujus fidei executione, pro salute itinerantium, vel aliò modò periclitantium recitemus itinerarium coram Sanctissimo. Succurramus, ut beatè ambulemus viam æternitatis.

## III.

**S** Albertus effatum nobis reliquit doctissimum, dicens, animum quatuor constare elementis : *Puritate, humilitate, fide, & pietate.* Quia cum puris, humilibus, & piis servulis est Dei sermocinatio, & dulcis conversatio. Quomodo est Deus in cordibus nostris? Quid loquitur? Aut quomodo operatur? Si frigidè; si parcè; nobis imputemus, quia purè, & humiliter non vivimus. Et sic vivere delectat? In vitiis, & immunditiis delectamur? Tempus breve est, & gaudium mutabitur in luctum.

*Instructio meritoria.*

Ab ordine vitæ dependet tota sancti-

U 5

tas,

tas, & vitæ perfectio. Vivere, & non scire, quò ordine, est ambulare in tenebris. Nunquam in puritate, humilitate, fide, & pietate crescemus, si dies, & horas non ritè ordinaverimus. Commendatur igitur accurata temporis distributio, de qua nec jota, nec apex prætereat. Turbata, & impuræ animæ, ut tenebris depulsis redeant ad lucem quietæ & serenæ conscientiæ, spiritualem hodiernam communionem eis offeramus cum fructu sacrificii, addendò insuper Officium de dulcissimo corde Jesu. Hinc fons omnis tranquillitatis, & spiritualis lætitiæ.

**Festum S. Laurentii, Martyris gloriosi, & Levitæ in craticula constantissimi.**

**EXHORTATIUNCULA I.**

**O** Fili! non audimus in craticula exultantem Laurentium, & dicentem: *Ego me obtuli sacrificium Deo. Gaudeo, quia hostia Christi effici merui.* Nos ipsos offerimus Deo in sacrificium, cum vitam nostram Divino consecramus

mus honori. Nónne etiam hostia sumus Christi? An amoris proprii? An mundi? Hostia Christi debet mactari: Quomodo nostram voluntatem, passiones inordinatas trucidamus? Vult eas mori Deus! Et parcat homo?

*Instructio meritoria.*

Mactabimus per egregiam nostrum abnegationem, cujus actus magis generosos hodie exercebimus duodecim, eosque in scheda descriptos Ven. Patri spirituali consignabimus. Sine exercitio, & frequentatis actibus nihil. Et ut impetremus exercendi gratiam, recitabimus in venerationem Passionis S. Laurentii unum speciale Rosarium de quinque Mysteriis dolorosis. Frater glorificet fratrem imitando.

II.

**B.** Laurentius clamavit: *Deum meum colo, & illi soli servio; & ideò non timeo tormenta tua, tyranne!* Quid nos colimus? Cui servimus? Nemo potest duobus servire Dominis. Dura nimium est servitus, servire sibi, & peccato; servire autem Deo regnare. Alta

U 6

peti-

petimus? Cur ergò non & excelsa Divinae Majestatis servitia?

*Instructio meritoria.*

Probabimus hodie! Ad omnia divina inter primos comparebimus, oculos, & sensus modestissimè regemus, & extraordinario fervori nos hac totà die impendemus. Ardet S. Laurentius in cruciatura: Et non ardeat cor nostrum in Dei praesentia? Preces autem erunt istae: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum &c.* vel: *Laudate Dominum de caelis.* Laus Dei triste nil habet.

III.

**S**unt, & dantur adhuc afflicti Laurentii inter tormenta multivaria. Descendamus in purgatorium, & inveniemus. O dilecte fili! Quàm triste hinc nobis occurrit spectaculum! Patiuntur ibi electae Dei animae: & pauci sunt, qui eas consolentur. O neglectam charitatem Christianam!

*Instructio meritoria.*

Simus nos saltem inter amatores harum Christi sponsarum praecipuos! Ab hodierna die quidquid boni operis, quidquid

quid meriti, & præmii in nobis operata fuerit Divina gratia, id semper pro semper solis animabus in purgatorio attribuamus. Nil inde perdimus; sed reddentur nobis omnia cum foenore. Per hanc Octavam quotidie oremus Vesperas ex Officio defunctorum. Et quid obstaculi, ut tam modicum charitatis pensum non reddamus?

Festum S. Claræ, Matris Seraphicæ.

EXHORTATIUNCULA I.

**O** Fili! Qualem hodie colimus Matrem? Christo Jesu gratissimam. Quem & S. Clara verbô, & factô in seipsa expressit. Ut patientem quidem; quia jejuniis, ciliciô perpetuô, nudis pedibus, & sarmentis pro strato quotidianô utebatur tortor, & Martyr sui rigidissima. Hæc tenera Virgo potuit. Cur corpori, & sanitati ita timemus? Sic plerumque insanus in nobis prævalet sensualis amor, proprius amor, & futilis mortificationis timor. Sed ô Bone! Quid præ-

U 7

stat?

stat? Corpus vel hîc, vel ibi cruciari?  
Quid hîc sana ratio?

*Instructio meritoria.*

Amor sui diu prævaluit! Discat & hic  
fatalis animæ inimicus, tandem subesse.  
Chare! Ad pugnam provocemus,  
unum, alterúmve virtutis statuamus ex-  
ercitium amori proprio extremè contra-  
rium, v. g. aut dormiendô in nuda hu-  
mo, aut S. cilicium portando, aut op-  
timum cibum sibi subtrahendo. Hæc  
timet caro: Sed sine prudentia. Mor-  
tificemus nos ipsos amore Christi, ne  
cruciari debeamus rigore justitiæ. Pro  
dono austeritatis Christianæ *Rosarium  
dolorosum.*

II.

**C**Rudeles barbari impetum faciunt  
in S. Clarae Monasterium, exitium,  
& mille mortes minantur. Quid Vir-  
go? Ad Jesum confugit, filias suas hu-  
jus curæ, & Providentiæ committit, ro-  
gans: Domine Jesu! ne tradas bestiis  
animas confitentes tibi. Et ecce! mox  
audiat respondentem: *Ego semper cu-  
stodiam vos. Nos quorsum confugi-  
mus*

mus tempore tribulationis, necessitatis, angustia? O si ad Jesum! & non ad homines, vel ad proprias vires! Quàm tutiores staremus contra inimicos! Quàm citiùs liberaremur à malis, & pressuris nostris!

*Instructio meritoria.*

Sine pressura, sine afflictione non possumus vivere: Ergò nec sine refugii loco, & optato auxilio. Ubi inveniemus? Vel in Ecclesia coram Tabernaculo Venerabilis Sacramenti, vel in nostro cubiculo coram Crucifixo. Hic flectamus, nostras necessitates in cor Jesu deponamus, & flebili voce cum Davide oremus Psalmum: *Ad Dominum cum tribulaver, clamavi: Addendo quinque Pater & Ave* in honorem quinque vulnerum Jesu. Hæc requies nostra. Clamemus! Pulsemus! Aperietur! exaudiemur.

III.

**M**Aurorum vim ut Sancta retunderet, curavit, irruentibus jamjam barbaris, monstrari Augustissimum S. Altaris Sacramentum. Quò visò impii perterriti illicò fugerunt. Habemus quo-

quo-



quotidie in oculis hoc sacrosanctum  
amoris pignus : Cur non utimur pro  
animæ munimento ? Cur toties cedi-  
mus, & succumbimus inimico ?

*Instructio meritoria.*

Pudor est ! præeunte rege timere ini-  
micum ? Est Christus Jesus ubique no-  
biscum ! & terremur ? O milites Chri-  
sto indignos ! renovemus datam toties,  
& juratam ei fidem ! renovemus, præ-  
cipuè diebûs festivis, & S. Communio-  
nis, cui gratitudinis locò semper junga-  
mus actum specialis virtutis, per quem  
probabimus, cui vivere cupiamus. Ta-  
les actus esse possent, si in die S. Com-  
munionis rarò inter homines, cautissimi  
in lingua, modesti in oculis, abstemiini  
refectionibus esse satageremus. Meretur  
tantus hospes, meretur & dies, quæ cau-  
sa multæ, & magnæ sanctitatis nostræ.  
Ut tamen vivamus perpetuò sub prote-  
ctione Dei Eucharistici, recitemus offi-  
cium minus de Suavissimo S. Altaris Sa-  
cramento.

Dies

Dies B. Stanislai Kostkæ, No-  
viti in Societate Jesu Sanctissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**D**octrinaliter dixit S. Bernardus:  
*Bonorum adolescentulorum est, ti-  
morem Dei habere, referre parentibus  
honorem, & castitatem tueri.* Hæc om-  
nia præstitit B. Stanislaus vivum Angeli-  
cæ juventutis speculum. Fili! in hac  
doctrina si deficiamus, nec cœlo, nec  
homini grati vivimus.

*Instructio meritoria.*

Deum non timer, nec custos purita-  
tis est, qui amat multum vivere in publi-  
co, & inter homines. In multa, & lon-  
ga conversatione, præsertim si cum Deo  
non est, haud effugietur peccatum. Ca-  
veamus publicum, & amemus vitam oc-  
cultam & fitemus magni in timore Do-  
mini, ut B. Stanislaus, in cujus hono-  
rem recitabimus officium de eodem, &  
si illius imago ad manus, plurimîs vene-  
remur osculîs cum suspirio: Angelice  
Juvenis! Cor mundum impetra, da soli  
vivere Christo, & penitus mori sæculo!

II. Dei-

## II.

**D**Eiparam sic à teneris adamavit, ut cum sociis etiam piissimis decertaret, qui magis eam honoraret. Quò præmiò? Admirandò. Stanislao ex infirmitate decumbenti Maria suum offerret Jesulum, in illius sinum reponit, abstersoque morbò Societatem Jesu ingredi jubet. Mira solatia! Quomodo nos ò fili! gustamus? Si cupimus multum, Mariam diligamus, & veneremur plurimum. *Causa enim formalis nostræ recreationis est Beatissima Maria, quia omnibus suæ Deiformissimæ Conversationis speculum, & exemplum est. S. Antoninus.*

*Instructio meritoria.*

Ut & in nostro vivamus statu, famuli Deo, & Mariæ addictissimi, nobis, & proximo utilissimi, B. Stanislaum in Directorem animæ nobis eligamus, necessitates, & angustias omnes plenè consignemus, & ad perpetuam assistentiam humiliter invocemus, pro omnibus de statu suo periclitantibus subjungendò  
30. *Pater & Ave* cum illo versiculo:

Te

*Te ergò, quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti. Et Oratione : Respice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam &c.*

## III.

**B.** Stanislaus Divæ Barbaræ devotus meruit, ut ab angelis in ultimo morbo reficeretur venerabili S. Altaris Sacramento. Et nos ò dilecte! desideramus in luctâ mortis ultimâ auxili-um? Cupimus & moribundi hoc coeli-cum accipere delictum? Ecce! S. Stanislaus cum Diva Barbara in nostrum jam stant parati obsequium. Non accepta-bimus? Væ nobis; quia fame peribimus!

*Instructio meritoria.*

Certam nobis constituamus, & eliga-mus diem per septimanam, quam no-bis quasi mortis ipsissimam determine-mus. Hanc diem per annum sæpius aut extraordinariâ sacramentali commu-nione, aut speciali sacrificio Missæ, aut sanctâ solitudine, & mirâ vitæ sanctita-te honorabimus. Ordinariè eodem die venerabimur omnes bonæ mortis Pa-tronos

476 XV. Augusti. Assumptionis B. V. M.

tronos recitando *Lytanias*, quas ordo  
Commendationis Animæ habet præfi-  
xas. Quibus & nomina B. Stanislai, &  
S. Barbaræ inseramus. Tela prævisa mi-  
nùs feriunt.

Solemnitas Gloriosissimæ mun-  
di Dominæ, & Regina in cælos  
Assumptæ.

EXHORTATIUNCULA I.

**E**Cce! moritur Maria sine dolore,  
sine timore. Amore dissolvitur  
Virgo, ut esset cum Christo. Morie-  
mur & nos; Sed in mediis doloribus,  
& mortis angustiis. Si in humilitate,  
Castitate, & charitate perfectâ vixeri-  
mus ut Maria, lætantes & moriemur  
cum ea.

*Instructio meritoria.*

Heu! quales nos expectant angustie  
pro lectulo mortis? Has ut nobis allevi-  
emus, quid statuemus? Ad consecra-  
tionem S. Hostiæ, & pretiosi Calicis  
SSS, Trinitati, & Mariæ singulariter  
commendemus extremam luctam, pro  
qua suaviter subeunda quotidie sataga-  
mus

mus spirituales Communionem suscipere eò tempore, quò sacerdos sacramentaliter se reficit in ara. Neque in lectum ibimus, nisi verba Justi Lipsii præmiserimus dicentes: *S. Maria! adesto cum tota eternitate decertanti*: Recitentur Lytaniæ Lauretanæ.

II.

**R**esurgit iterum Maria. Non decuit putrefieri sacrosanctum Immaculatæ Virginis corpus, in quo Verbum Domini Caro factum est. Resurget & corpus nostrum: Sed nescimus: An ad gloriam? an ad miseriam, & carnificinam perpetuam? At fallor! dilecte! manet nos gloria, si serviamus Mariæ. Quis enim Clientum unquam perit Mariæ? O quàm bene S. Ephrem: *Non nobis est alia, nisi in te, fiducia O Virgo sincerissima! Ex ulnis siquidem matris tibi dediti sumus miseri, tuique clientes appellati.*

*Instructio meritoria.*

In venerationem Gloriosi corporis, & omnium membrorum in Maria, omnia tria SS. Rosaria cum Gaudiosis, Dolorosis,

lorosis, & gloriosis Mysteriis persolvamus, præsentemque diem exemplari quâdam modestiâ, & gravitate angelicâ sanctificemus cum tessera: Non deceat sub Immaculata Matre filium vivere fordidum, & dissolutum.

## III.

**T**riumphat Maria, & cum mirabili apparatu ingreditur cœlos. Occurrunt Angeli! Pater æternus Eam de Filiam suscipit charissimam. Ut Matrem Christus, Ut Sponsam Spiritus Sanctus, totâque applaudente cœlesti curiâ ad dexteram collocatur Filii. Io, mi fili! omnia impetrabimus intercessione Beatissimæ Virginis Mariæ; Quia, ut nunc omnia potest, sic & omnia cupit nostrum causâ. Audiatur S. Anselmus: Sicut Deus suâ Potentiâ parandô cuncta Pater, & Deus est omnium, ita B. Dei Genitrix Maria, suis meritis cuncta reparandô Mater est, Domina rerum. At ubi nostra in Mariam obsequia?

*Instructio meritoria.*

Condecoremus triumphum Mariæ, & in cœlum Matrem comitemur 12. Pater

*Oratio Ave, ac Te Deum Laudamus in honorem 12. stellarum, quibus in die gloriosæ Assumptionis à SSS. Trinitate illuminata est. Et quia Assumptio Mariæ simul est Redemptio animarum ex purgatorio, his omnes fructus totius hodiernæ diei per manus triumphantis Mariæ donemus, & offeramus cum Collecta:*  
*S. Maria! succurre miseris! juva pusillanimes! refove flebiles! ora pro populo afflicto, intercede pro doloroso purgatorio! sentiant omnes tuam juvamentum, quicumque indigent inter flammam tuam sancta intercessione, O clemens! O pia! O dulcis Virgo Maria!*

Dies S. Rochi Patroni contra Pestem & Contagiones clementissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**N**Ecdum displicet sæculum? Relinquit omnia Rochus, utut bona possederit abundantissima; nec solum reliquit, sed & pauperibus distribuit; postea peregrinum induit, & tectò nomine Romam abiit. Amor Christi Jesu nudi & pauperis prævaluit in corde S. Rochi.



Rochi. Utinam prævaleret & in nostris Charissime! Servi sumus Dei! Discipuli, & fratres Jesu Christi! Ergo sæcularia fugiamus! Sic S. Gregorius: *Ille verè Deo servire appetit, qui ab hoc sæculo mente transire didicerit.*

*Instructio meritoria.*

Felix, qui semper peregrinus in sæculo. Peregrini simus in loquendo, in conversando, in comedendo. Sic rarò impingemus in lapidem offensionis. Tempora abbreviemus recreationibus, colloquiis, conversationibus, & commoditatibus sicuti peregrini. Cælum suspiriamus frequentius. En! quàm grandis adhuc nobis restet via. Ut crescant desideria ad Patriam supernam, recitemus Gloriosum S. Rosarium, & ad quodlibet *Pater Noster* subjungamus suspirium: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

II.

**S** Rochus peste infectis ut Christo Jesu servit summâ charitate, & fraternâ providentiâ. Monetur propter pericula, & gravia hujus servitii onera

Respondet vir Dei : *Fratres mei! Charitas providebit. Nec suas amor quaerit commoditates.* Qualis hæc doctrina? Confundimur, dum solùm legitur.  
*Instructio meritoria.*

Tempora quàm infelicia vivimus! Omnia sibi rapit perversus sui proprius amor. Vim prædominanti inferamus; & quidquid petierit, aut rogaverit à nobis proximus, citò reddamus. Negeamus econtrà, quidquid propria sensualitas, & delectatio vel circa recreationes, vel circa corporalia affectaverit solatia. Ut autem cum proximis semper ambulemus in azymis sinceritatis, & veritatis, illi donemus fructum hodierni sacrificiï sub tessera : *Non quæ mea, sed quæ Jesu, & proximi sunt, quero & desidero.* Sacrificio addamus & S. Rosarium. Sic mandat Charitas fraterna.

## III.

**S** Rochus moritur peste peremptus, & cœlitus contra pestem patronus constituitur. Nam ad S. Corpus inventa est tabula, cui hæc inscripta Verba : *Peste laborantes ad Rochi patrocinium*

X

con-

*confugientes, contagionem illam atrocissimam evasuros significo. Fili! ne timeamus hęc, vel illō morbō mori! Timeamus potiùs, malè, & minùs Christianè mori!*

*Instructio meritoria.*

Misereamur dilectæ patriæ. Ut Deus avertat flagellum suæ iracundiæ, post summum officium assuescamus subjungere vel Rhythmum: *Stella cæli extirpavit &c.* vel *quinque Pater & Ave cum Salve Regina.* Tremenda est Dei manus, si quem feriat.

Festum S. Hyacinthi ex Ordine  
S. P. Dominici.

EXHORTATIUNCULA I.

**Q**ualis Magister, talis & discipulus. S. Dominicus docuit perfectam sanctè vivendi rationem; retinuit usque ad finem vitæ Hyacinthus quam fidelissimè. Deus ipse egit Magistrum respectu nostrum! Quæ enim non quotidie suspicimus desursum dictamina ad omnem vitæ sanctitatem, & justiciam? Sed  
que

quæ fidelitas in exequendo? Qualis constantia in observandô?

*Instructio meritoria.*

Negligere instinctus Divinos, nota magnæ infidelitatis est. Nec sufficit, primitus intellexisse. Finis coronat opus, dat, & auget præmium. Deploremus peccata omissionis, de quibus per aliquot dies nos specialiter accusemus in sacro tribunali, extraordinariam insuper rogaturi, vel nobismetipsis dictaturi poenitentiam, qualis esse possent *psalmi graduales*, vel actus occultæ macerationis. Timeamus! Caveamus! Nescimus, an amore; an odiô digni?

II.

**V**ivimus de patrimonio Christi! Quod illud? S. Hyacinthus exhibet. Hic castitatem perpetuam, modestiam, patientiam, humilitatem, & abstinentiam, ut certum vitæ religiosæ adamavit patrimonium. Prodigimus Christi substantiam, Sanguinem, & S. Passionem, si has in nobis non exprimimus

mus virtutes? O quid respondebimus hæc à nobis requirenti?

*Instructio meritoria.*

Mors instat! & de bono patrimonio non prospicimus. Credidero; Quia nostra exercitia, meditationes, & examina non fervidè, sed perfunctoriè, & ex sicca consuetudine peragimus. Si hoc, nunquam vel unicam virtutem solidam obtinebimus. Renovemus igitur spiritum, & fervorem tempore exercitiorum. Flectamus liberi! Manibus erectis, mente in Deum recollecta, oculis clausis, sensibus quietis. O media miræ sanctitatis! Ut rebelle in se suscipiat corpus, & suavitatem recollectionis mentalis degustet, officium de dulcissimo Nomine Jesu oremus. Ab Eo petendum nobis patrimonium Christi.

III.

**L**ucrari animas Christo, ars arrium est. Didicit hanc S. Hyacinthus, qui Verbi Divini prædicatione, & vitæ innocentiam omnibus omnia factus est. Duo sunt, quibus Deo, & hominibus nos probamus gratissimos. Verbum bonum

XVII. Augusti. S. Claræ de Montefalco. 485

bonum in ore, & vivum religiosæ, & puræ vitæ testimonium, ac exemplum in opere. Hîs per totum mundum securi ibimus.

*Instructio meritoria.*

Nunquid fili! in utroque multa defunt nobis? Examinemus linguam, & colloquia; Examinemus vitam, & opera. O quàm longè distamus à spiritu apostolico! Ut nobis, & omnibus sacris Religionibus impetremus, descendentes ad refectorium 12. *Pater & Ave* in honorem duodecim SS. Apostolorum frequentius recitare assuescamus. Viris, & Apostolis indiget Ecclesia, non scandalis, & pravis exemplis.

Dies S. Claræ de Montefalco  
Sacra.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**ili! Amor Crucifixi Jesu quis in cordibus nostris? O si tantus, quantus in corde hodiernæ Virginis ardentissimæ! Hæc Crucifixum sponsum eò stringebat amore, ut cor ejus clavis, lanceâ, & spongiâ passionis insigniri divini-

X 3

tus

486 XVII. Augusti. S. Claræ de Montefalco.  
tùs meruerit. Quomodo & in nobis  
formabitur imago Passionis Dominicæ?  
Hujus cultu perpetuo.

*Instructio meritoria.*

Amor vel similes quærit, vel facit, vel  
invenit. Nostrum ergà Jesum, & hunc  
Crucifixum ut firmemus, Férias sextas  
per annum omnes, aut nocturnò jeju-  
niò, aut rigidò silentiò, aut variis ma-  
cerationibùs corporis veneremur, sem-  
per eòdem die pro ordinaria meditatio-  
ne materiam de Passione Dominicâ assu-  
mentes, & per diem illum sæpiùs suspi-  
rantes: *Amor! O Amor! Tu non ama-  
ris!* Negligentias, & nauseas nostras  
circà hæc sacrosancta Amoris patientis  
mysteria non rarò admittas compense-  
mus, & per Octavam integram coram  
Crucifixo *quinque Pater, & Ave cum  
hymno: Vexilla Regis prodeunt*, fi-  
deliter oremus. O fili! Offendimus  
multùm! Consolemur Jesum denuò.

II.

**S**SS. Trinitatem tantò pietatis, & de-  
votionis affectu coluit, ut in B. Cla-  
ræ felle tres globuli reperti sint, æqualis  
pror-

prorsus ponderis, & formæ. Dilecte!  
Nobilius est cor nostrum, quàm quòd  
vanitatibus, & stultitiis adhæreat hujus  
sæculi. SSS. Trinitatis sumus! Hujus  
honorì nos totos impendamus! Non  
possumus Deo, & mundo simul servire.

*Instructio meritoria.*

Chare! sublimia debemus SSS. Tri-  
nitati! Tandem reddamus, quod ha-  
ctenus negavimus. Amorem, reveren-  
tiam, & humilitatem exigit. Non sub-  
trahamus! Proin in principio cujusli-  
bet septimanæ, seu in die Dominica il-  
lam protestationem renovemus, quam  
in *Mane nobiscum* reperiemus, omniâ-  
que totius hebdomadæ præsentis verba,  
cogitationes, & opera illius honorì, &  
amori quàm devotissimè subscribamus.  
Quotidie verò à manè, dum surgimus,  
& ad noctem, dum lectum petimus, *Te*  
*Deum Laudamus* intonemus pro bene-  
ficiis Creationis, Redemptionis, Con-  
servationis, & Vocationis. Si ego Pa-  
ter! Si ego Redemptor! Si & Sanctifi-  
cator sum Ego, ubi honor? Ubi amor  
meus?



## III.

**O** Nos delicatulos! O subtiles, & molles animos! Confunditur rebellis voluntas ab hac Virgine viribus, & corpore tenerrima. Hæc in austeritate, & rigoribus vitæ tanta fuit, ut ei Jesus dixerit: *Clara! locum quasi, ubi crucem meam figerem, nec inveni, nisi in corde tuo.* Fili mi! Christus quærit locum denuò; Occurramus, pandamus quærenti cum gaudio afflictiones quasque de manu Dei suscipientes. Pati quid regium est.

*Instructio meritoria.*

Cor patuit iracundiis, & internis commotionibus, & clausum erat patientiæ, & Christi humilitati. Et tamen de numero fratrum, & discipulorum illius esse cupimus? Vim vi repellere oportet, & iram mansuetudine, impatientiæ motum ore quieto, & silenti animò. Sed hîc opus, hîc labor est. Ut feliciter eò pertingamus, extraordinariam confessionem instituamus, omnes nostras iracundias ardenti dolore, & cordis compunctione confiteamur, & aliquot actus ira-

iracundiæ nostræ directè oppositos pro  
satisfactione nobis ipsis imponamus. In  
compensationem autem impatientia-  
rum omnium Lytanas de omnibus san-  
ctis coram sanctissimo Venerabili, ma-  
gnò pietatis, ac devotionis sensu persol-  
vamus. Cruenta bestia! crudelis ira!  
Túne dominari Christi discipulo?

Festum S. P. Bernardi Cister-  
ciensis Congregationis Fundatoris  
Melliflui.

EXHORTATIUNCULA I.

**H**Æret Divus Bernardus inter bra-  
chia, & amplexus Crucifixi Jesu.  
Quis innodavit? Amor, & compassio.  
Cur nos otiamur? dilecte, mi! pender  
Christus conclavatis, & extensís in cru-  
ce manibûs. Et quid vult nisi suos am-  
plexari discipulos? O fili! quid moras  
nectimus? Nostra mora est Jesu crucifi-  
xio nova. Curramus, ut citò quiesca-  
mus!

*Instructio meritoria.*

Beata anima, quæ quiescit quotidie  
inter Jesu Crucifixi brachia! Hæc fateri

potest : *Qui redemit me , requievit in tabernaculo meo.* Doleamus, quòd tam ferò amorem Crucifixum dilexerimus. Ut vel hodie suscipiamus in contubernalem nostrum, recitemus officium de Suavissimo ac Mellifluo Jesu Nominè à S. Bernardo compositum. O si Jesus foret mel in ore, melos in aure, jubilus in corde ! Vt fiat, satagamus amandò.

## II.

**E**N ! flectit coram Maria Bernardus, flectit, séque totum committit materno præsidio suspirans : Maria ! *Monstra te esse matrem.* Quid autem Deipara ? Dans Jesulum ait : *Bernarde ! suscipe puerum meum , totius mundi Redemptorem.* O dulcem sarcinam !

*Instructio meritoria.*

Mereri & nos possumus, si in colendo, & amando secuti fuerimus S. Bernardum, cujus ad exemplum pro delendis sub recitatione officii Mariani commissis levitatibus, & negligentis coram devotâ icone hodie flexis genibûs, & accensis luminibûs Cursum, seu officium

um Majus expleamus. Sinu suo pietatem filiorum excipiet Mater piissima.

## III.

**I**n schola S. Bernardi o qualis nobis relicta est doctrina! Triplex hæc fuit. *Prima.* Terribile est, Deum exinaniri, & terræ vermiculum gloriari. *Secunda.* Quò majorem quæremus in creatis consolationem, eò minorem reperiemus in Deo. *Tertia.* Singulis horis cogitare debemus, quò singulis momentis prope-remus. Hæc memorare tribuit non amplius peccare.

*Instructio meritoria.*

Ad quid venimus? Fili electe! ut mundum contemnamus, nos ipsos horreamus, & coelestia ambiamus quotidiano. Hæc nostra debuissent jam dudum fuisse studia. Sed eheu! Vix non sunt ignota. Pro executione harum doctrinarum Litanias de omnibus Sanctis Cisterciensibus, & Benedictinis (in Trichemio invenendas) recitemus. O quot humilitatis, contemptûs sui, & Divini amoris ibi inveniemus Magistros; invocemus! Sequamur!

Festum S. Bernardi Ptolomæi  
Congregationis Mariæ de Monte  
Oliveto Fundatoris.

## EXHORTATIUNCULA I.

**D**isplicet Deo inanis, & fastuosa  
scientia. Sanctus hic Bernardus  
dum aliquando disputabat ardentius,  
subitò capitur oculis, ut altiùs philoso-  
phari, coelestiâque internis oculis, qua-  
rere disceret. Vana est scientia, si non  
tendit in Deum, qui fons omnis sapien-  
tiæ.

*Instructio meritoria.*

Dilecte! Evanuimus & nos sapiùs in-  
ter labores, ruminaciones, & elucubra-  
tiones profundissimas. Ad quid verò  
hæc pretiosi temporis perditio? Redi-  
mamus, & quoties vel pulpitem pro stu-  
diis accedendum, vel inter labores su-  
dandum, à Deo exordiamur, flexis ge-  
nibus recitandò hymnum de Spiritu San-  
cto: *Veni Creator Spiritus*. Hâc devo-  
tione ô in quantos evaserunt Ecclesiæ  
Doctores sancti Gregorius Magnus,  
Thomas Angelicus, Venerabilis Beda,  
Ru-

Rupertus Tuitiensis, & Albertus Magnus! Omne datum defursum est.

## II.

**B.** Bernardus Dei manu excœcatus clamat ad Matrem! Invocat Mariam. Et ô Mariæ potentiam! Jam perditos restituit; hac tamen conditione, ut relicto sæculô totus in Matris iret obsequium. O beatam solitariam, & religiosam vitam! Deum, & Mariam sibi attrahit. Ideò non est gratia, non dulcedo, aut sancta voluptas, quæ mundo mortuis non est promissa.

*Instructio meritoria.*

Vocationis beneficium ô quantum est! Sed quomodo compensavimus? Quoties hujus vix recordati sumus? Gratitude vices, ut reddamus imposte- rum, certum per septimanam diem nostro Sancto Legislatori constituamus, eumque aut extraordinariâ interdum S. Confessione, aut aliquali jejunio, aut stricto recolamus silentiô. Ubi & semper renovabimus formulam sacræ Professionis nostræ. Hodie verò recitabimus Eucharisticum Psalmum: *Benedic*

*anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus.* Laus Domini est gratissima retributio accepti beneficii.

## III.

**C**œlitum Regina Olivetanam Congregationem, ut ad Benedictinum efformaret institutum, ipsa sacrum Bernardo habitum, & Regulam S. P. Benedicti attulit. Tanti fuit Beatissimæ Virgini! quò igitur non spiritu? quò divinæ exin hauriendæ sapientiæ desiderio ea non tractanda nobis? Sacram Regulam colimus? Ergo & Mariam hujus ampliaticem.

*Instructio meritoria.*

Miles sine armis miles non est. Quales nos religiosi sine S. Regula? Ambulet, sedeat, laboret eadem nobiscum semper. Utique tanti non est ponderis! Stantes in reverentiam legamus! lectam frequenter exosculemur cum dicto: *Benedicte Pater! Auge tuum, & Christi Jesu in nobis spiritum.* Ut per hanc sacram Regulam ulterius Romana triumphet Ecclesia, & S. P. Benedicti floreat

Familia, omnia hodiernæ diei opera, preces, & sancta suffragia per manus Divi Bernardi Deo, Mariæ, & Benedicto offeramus cum Cantico: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* O gratum filii obsequium!

Festum S. Philippi Bennitii Ordinis Servorum Mariæ propagatoris Vigilantissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**V**ix natus, Mariam ore laudavit, & ut hujus famulis daretur eleemosyna, Matrem suam rogavit. Et hoc est uti linguâ sanctissimè. Deo, Mariæ, & proximo si non impendatur, excindatur, & in ignem mittatur; quia scandalum est!

*Instructio meritoria.*

Tollamus hoc grande malum. Curemus infirmum sollicitè membrum. Quomodo? Hodie specialiter cavendô, ne vel verbum loquamur, vel audiendô ad cor admittamus, quod foret contra charitatem proximi. Quin si & ex incuria deliquissemus, sine mora satisfaciamus  
intra



intra cubiculum, vel coram Sanctissimo nos prosternendô, & prostratô corpore *Psalmum Miserere* expansis brachiis recitandô. Linguam ut parcam, mansuetam, & prudentem obtineamus S. Rosarium Dolorosum offeramus. Passio Domini sit, & regnet in corpore nostro!

## II.

**Q**uis fidei, & charitatis Divinæ dilatandæ ardor, & spiritus in nobis? O si S. Philippi! Hic Dei famulus per universam penè Europam, magnamque Asiæ partem tum evangelicis prædicationibus, tum vivis virtutum exemplis, & indefessis laboribus cultum Christi, & Mariæ promulgavit, promulgatamque insigniter confortavit. Filii mi! quid nos pro Christo, pro Maria heroicè attentavimus? Et tamen Dei famuli nominari cupimus, & esse?

*Instructio meritoria.*

Dilecte! Licet adhuc compensare negligentiam. Quomodo? Christum quotidianô sacrificiô, & matutinâ intentione veneremur, Mariam S. Rosariô, & officiô sive majori, sive minori colamus

per-

perpetuò, hominibus eximiâ virtute, & vitâ exemplari præluceamus: Et Christum, ac Mariam per nos vivere, & glorificari, sciamus. In aliqualem, quam præstemus hodie, satisfactionem, Jesu, & Mariæ offeramus *Coronam triginta tribus Ave, & quinque Pater constantem.* Coronemus nos rosâs, quæ nunquam decidunt.

## III.

**R**Ara virtus, perfecta proximi charitas! Eminuit in S. Philippo. Plurimas Italiæ percurrit civitates, gliscentes in eis civium discordias componit, rebelles ad Romani Pontificis obedientiam allicit, perditissimos è vitiorum cœnâ ad pœnitentiam, & Jesu amplexum adducit. O quot genuini amoris effectus! ô si vel unicus esset in nobis! Fili! non desperemus! Omnia possumus in eo, qui nos confortat, & diligit.

*Instructio meritoria.*

Quoties discordias excitavimus & nos? En! diem opportunissimam, ut satisfaciamus. Jesus, & S. Philippus sic jubent. Impediamus hodie, quidquid  
tur-

turbare posset fraternam pacem, & charitatem. Studiô, & reflexâ intentione frequentemus conversationem, bonoque discursus aut incipiamus, aut ab aliis inceptos zelosè promoveamus. Quid charitate, & pace pretiosius in Christiana aliqua communitate? Ut consecremus, unam extraordinariam visitationem Sanctissimi Venerabilis hodie assumamus. Ecce! in templo habitat, qui mandavit: *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Joan. 14.

Solemnitas S. Bartholomæi Galilææ, & Armeniæ Apostoli.

EXHORTATIUNCULA I.

**P**Ellem pro pelle! dilectemi! Sic iubet Divinus amor. Exuamus veterem hominem, & induamus novum, seu spiritum Apostolicum S. Bartholomæi. Si cuti, si corpori nostro timemus, heu! nunquam virum induemus Apostolicum. Si non: Ad quid venimus?

Uc

Ut carni vivamus? Deo, & spiritui resistamus?

*Instructio meritoria.*

S. Bartholomæi amorem, & patientiam ut in nobis exprimamus, aliquem S. Rigoris actum hodie nobis statuamus cum consensu Patris spiritualis, cui addamus *duodecim Pater & Ave cum Credo* in venerationem duodecim SS. Apostolorum. Quod Apostolis, idem præstamus & Christo. Ubi cor unum, & anima una, ibi & plena bonorum participatio.

II.

Sathan in obsessio interrogatus: Quæ facies S. Bartholomæo? Respondit: *Semper in eodem vultu, & animo letus, & hilaris perseverat.* Unde tanta lætitia? Quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8. 18. Fili! Perbenè hanc novimus veritatem! Utinam & in opere!

*Instructio meritoria.*

Insurgit Melancholia, tristitia, torpor, & nausea in spirituali vita, non cedamus,

500 XXIV. Augusti. S. Bartholomæi Ap.  
damus, sed in principio resistamus lau-  
dantes cum Davide Dominum: *Bonum  
est, quod humiliaveris me.* Serenita-  
tem in mente, & corpore ut retinea-  
mus, sub actuali commotione nec ver-  
bum loquamur; sic enim oleum af-  
funderemus igni. Potius Vesperas ex  
officio defunctorum recitemus pro de-  
functis, qui fortè ob iram graviter lu-  
unt in purgatorio. Redemptio ani-  
marum erit & redemptio nostrarum  
passionum.

### III.

**S** Bernardus considerans S. Bartholo-  
mæi pro fide constantiam, exclam-  
mat: *Quò abiit spiritus apostolicus? quò  
humilitas? labores? zelus primitivæ  
Ecclesie?* Sumus zelosissimi in rebus  
sæculi: at in rebus nostræ salutis, vel  
Divini honoris cæcutissimi.

#### *Instructio meritoria.*

Deploremus tot neglectos Spiritus  
Sancti instinctus, quibus ad opera vir-  
tutum heroica non rarò nos vi divinâ in-  
citos experti sumus. Satisficiamus  
nos in sacro tribunali idcirco specialiter  
accu-

XXV. Augusti. S. Ludovici Reg. Gal. 501

accusande, & per octo dies actum saltem unum specialem exercendo vel in abnegatione appetituum, vel in afflictione sensuum. Interim oremus *Lytanias majores de omnibus Sanctis*. Nostra offendit inconstantia, quotquot Sanctorum in se complectitur cœlum.

Festum S. Ludovici Galliaë  
Regis.

EXHORTATIUNCULA I.

GRande Regis Nomen in opinione hominum! Sed sublimior honor, scire se, & suas passiones, atque concupiscentias potenter regere. *Quid enim tam regium (interrogat S. Leo) quam subditum Deo animum corporis sui esse rectorem.* Talis Rector fuit S. Ludovicus, qui in mediis Aulaë deliciis vixit Deo, & sibi præsentissimus. Talia mirantur carnales.

*Instructio meritoria.*

Nos potiùs imitemur! Occasiones non desunt, modò nos non desimus fervori, & fortitudini. Ne excedamus tempore recreationis, aut corporalis solatii,

702 XXV. Augusti. S. Ludovici Reg. Gal.  
solatii, examen particulare indispen-  
sabiliter præmittamus, & in eo contra  
omnem laxitatem, aut superfluitatem  
strenuè nos obarmemus, tria, vel plura  
reflexè statuendò opera heroica v. g.  
temperantiæ, gravitatis, & modestiæ,  
ac internæ recollectionis. Oratio dabit  
emphasin. In descensu igitur ad le-  
cum recreationis recitemus *quinque*  
*Pater & Ave*, & Cordi Jesu ardentè  
nostram Conversationem commende-  
mus hâc tessera: *Noli timere, Jesu*  
*tecum!*

## II.

**U**Bique locus patet virtuti, etiam sub  
toga Regia. Quis sub Rege tanto  
rigores, cilicia, flagellationes, vigiliæ  
& jejunia expectasset? Et in his omni-  
bus strenuè suum exercuit corpus S. Lu-  
dovicus idque ad ruborem nostrum  
qui utut statûs, & conditionis infir-  
ris, tamen mollia, & delicata quanti-  
mus.

### *Instructio meritoria.*

Nulla jam nos transeat septimana,  
qua non una, vel altera die (qualis est  
posse

posset dies Mercurii, Veneris, & Sabbathi) opus quoddam assumamus S. austeritatis. Ni corpus hîc prematur, atque humilietur, erit, quæ serveriùs humiliet, implacabilis Dei manus in purgatorio. Pro animabus, verò inter flammam sudantibus, eò quòd fugerint fortè exercitia corporalis macerationis, hodie visitemus cœmeterium, & ibi aut dolorosum S. Rosarium, aut officium minus de animabus defunctorum, aut vigilias mortuorum persolvamus, audituri quondam non sine animæ solatio: *Captivus fui, & visitastis me.*

## III.

**Q**uanta in S. Ludovico pietas! qualis Barbarorum convertendorum ardor, & desiderium? Quæ heroïna ergà Christi inimicos fortitudo, & constantia? Profectò regiam exiit Majestatem, ut indueret Christianam pro Nomine Jesu servitutem. Fili dilecte! nisi soli Deo servierimus: quid proderit corona? quid sceptrum? quid pompa mundi universa? Rapiet omnia mors violenta. O si vel titulus servi Dei remane-



504 XXV. Augusti. S. Ludovici Reg. Gal.  
maneret in manibus nostris! O felix dis-  
cessio!

*Instructio meritoria.*

Quæ autem fervorum Dei firma pro-  
batio? Vita Christiana, eaque per to-  
tam diem ordinatissima. *A Deo* per in-  
tentionem generalem inchoemus diem,  
*In Deo* per strenua pietatis, & puritatis  
opera v. g. multivarias preces, sacrificia,  
aliâque charitatis erga Deum, & proxi-  
mum studia continuemus; denique  
*cum Deo* finiamus per accuratam an-  
sionem conscientie discussionem, &  
plenariam nostrî in Divinam, volunta-  
tem, & manum resignationem. Ore-  
giam servitutem! Ut in hac & vivere, &  
mori liceat, ad sanctissimum S. Alcaris  
Sacramentum · extraordinariam visita-  
tionem instituamus per quadrantem in-  
tegrum, subjungendo in honorem to-  
tius ætatis Christi Jesu 34. *Ave* cum qua-  
tuor *Credo*. Servus quærat Domi-  
num.

Festum

Festum S. P. Augustini Episcopi  
Hipponensis, & Ecclesiæ Doctoris,  
Patriarchæ multorum filiorum  
foecundissimi.

## EXHORTATIUNCULA I.

**D**iu restitit vocanti Deo Augustinus, satisque infructuosè primam trans-egit juventam, non saluti, sed peccatis, & libertati sæculi inserviendò. O fili! Florem ætatis nostræ cui nos impendimus? Erravimus cum Augustino. Jam pœnitentem sequamur.

*Instructio meritoria.*

Ut diluamus delicta juventutis, & pro his aliquantulum satisfaciamus, hodiernæ S. Confessionis specialiter subjungamus confessionem de abusu, de laxitate, & injuria primæ ætatis; denique *Graduales Psalmos* in occulto peragamus coram Sanctissimo. Acceptabile sacrificium Deo cor humile, & compunctum.

## II.

**U**nde tam subita S. Augustini pœnitentia, & conversio? Ex lectione sacra. Vix illa D. Pauli ad Romanos legerat

Y

gerat

gerat verba : *Non in comessationibus, non in cubilibus, & impudiciis, non in contentione, & emulatione, sed induimini Dominum Jesum Christum,* jam altum suspirabat : *Ah! serò te amari Fili! desuntne nobis hæ veritates? Nonne abundant? At ubi correspondens morum, & vitæ emendatio?*

*Instructio meritoria.*

Feriâ sextâ per singulas hebdomades aliquid ex S. Scriptura legamus, quam ut & ad manum habeamus, unice vigilemus. Pro neglectu autem tot institutum, & negligentia tot luminum & veritatum supernaturalium unam horam recollectionis statuamus nobis, quam vel precibus, vel lectioni spirituali, aut coram Sanctissimo in templo, aut Crucifixo in cubiculo piè transigamus. Tempus non deest operandi bonum : Modò nobis non deessemus.

III.

**C**Oepit bene S. Augustinus noviter conversus : Sed feliciùs continuavit; donec cursum sanctitatis suæ consummaret gloriosissimè, Non sufficit

XXIX. Augusti. Decollat. S. Joan. Bapt. 507

converti ad Dominum. Dilecte! Finis coronat opus, & ad apicem evehit summæ perfectionis. Fuimus ut novitii in conversione; vivamus modò, ut professi in omni sanctitate, & justitia. Ita jubet virtus regia, Christiana constantia.

*Instructio meritoria.*

Idipsum ut nobis, & omnibus SS. P. Augustini religiosi filiiis eò certius obtineamus, opera, & omnia devotionis exercitia hodiernæ diei offeramus pro magno spiritu, fervore, & insigni emolumento celebratissimæ familiæ Augustinianæ. Operibus jungamus preces, pietati *Lytanias de omnibus Sanctis*. Audiemus ex ore tanti Patris, & Fundatoris. Quod uni ex meis fecistis, mihi fecistis.

Festum Decollationis S. Joannis Baptistæ.

EXHORTATIUNCULA I.

**V**eritatem qui amat, hominum favores, & respectum non curat. S. Joannes liberè Herodem aggreditur increpans in faciem illius impudentiam, & illud objiciens: *Non licet! Non licet*

508 XXIX. Augusti. Decollat. S. Joan. Bapt.  
*uxorem habere fratris.* O fili mi! Non  
damnabimus assentationis vitium? Non  
blanditiis, & adulationibus renunciabi-  
mus? Fera pessima adulator omnis. Et  
hic inveniri in domo Dei?

*Instructio meritoria.*

O quàm verum illud Davidis effe-  
tum: *Omnis homo mendax*, qui adu-  
lationis studiosissimus. Hinc tot, &  
tanta mendacia in sæculo! O ignobile  
vivendi genus! Eheu! Chare fili! Nec  
nos ad. ò innocentes hîc fuimus! Emen-  
dabimus nos, in specie ad S. Tribunal  
nos accusandò de omnibus mendaciis,  
frivolis blanditiis, & politicis adulatio-  
nibus. Pro poenitentia *quindecim Pa-  
ter & Ave* dicamus cum 30. osculis ter-  
ræ. Luat lingua! Graviores meruit.

II.

**O** Torturam animæ, malam con-  
scientiam! Impius Heròdes quo  
quò se contulit; aut, ubi ubi humana fo-  
laria quaesivit, amputatum S. Joannis, &  
quasi sibi ubique obvium gloriosi Mar-  
tyris Caput vidit, & increpans audivit  
No

XXIX. Augusti. Decollat. S. Joan. Bapt. 509

*Non licet! Non licet!* Beatum, quem  
sua non accusat, & damnat conscientia!

*Instructio meritoria.*

Ne offendamus, aut perdamus thesau-  
rum tranquillæ mentis, binâ per hebdo-  
madem confessione eluamus contractas  
maculas; imò post lapsum quemcum-  
que provolvamur in genua, de peccato  
doleamus sine mora, & feriam morum,  
& vitæ spondeamus emendationem.  
Pro conservanda conscientia pace, &  
puritate persolvamus *Officium minus de*  
*Immaculata Conceptione.* In hoc spe-  
culo omne gaudium, pax, & tranquilli-  
tas summa. Inspice, & intemeratam  
vitam dilige.

### III.

**O**cciditur S. Joannes, ut æternùm  
viveret. O quàm bene moritur  
(ait S. Petrus Dam.) qui moriendò ori-  
tur! Quàm feliciter temporalem vitam  
finit, qui vivere perpetualiter incipit.  
Discemus bene vivere? Sequetur & bea-  
tè, ac gloriosè mori. Unum provocat  
alterum: Sanctitas vitæ gloriam mor-  
tis.

Y 3

In-

*Instructio meritoria.*

Nunquam ibimus in lectum, nisi depositò priùs mortis testamento in devotis libellis facilè invenièdo. Praxis hæc, si fuerit constans, quàm suavem, & quietum somnum impetrabit à nobis? Gustabimus tunc, quando gustâsse æternùm proderit. Pro beata, & serena morte pro nobis ipsis latentes in templo *commendationem animæ* quàm ardentissimè persolvamus. Tela prævisa minùs feriunt.

Festum S. Rosæ Limanæ ex tertio Ordine S. P. Dominici.

## EXHORTATIUNCULA I.

**E**Cce novi orbis florem nobilem! O quem sanctitatis, Christianæ perfectionis, & innocentiae odorem non spererat in patria hæc Virgo! Ideò & ab ipsa Cœlitum Regina nominata est *Rosa* ob insolitam morum sanctimoniam, & suavitatem. Chare fili! Hortus est mundus. Nos Rosæ, & flosculi! Attendamus, ne sine odore virtutis.

*Instructio meritoria.*

Difficile est, placere Deo, placere & sæculo. Moribûs, modestiâ, prudentiâ, & Christianâ pietate exprimamus, cui serviamus. Id quod maximè fiat in loco recreationis, & humanæ conversationis. Exemplis bonis bonus Christi odor sumus. Ad impetrandam modestiam linguæ, & oculorum, hodiernum S. Rosarium offeramus Virginum Reginæ, Mariæ per manus S. Rosæ innocentissimæ. O Rosa! Quando te pinges in nostra modestia?

## II.

**R**osa in mediis mundi illecebris illibatam servavit cordis puritatem. Quò mediò? solius Jesu casto amore. Chare fili! gaudia sæculi quid ad nos? Inquinabimur, quoties gustabimus. Delectet potiùs meminisse Jesu inter solatia, ne prævaleat caro. Sit nobis, uti D. Augustino ita de Jesu suspiranti: *Tædeat me gaudere sine te; Et delectet contristari pro te. Sit mihi Nomen tuum refocillatio, & memoria tui mea unica consolatio.*



*Instructio meritoria.*

Martyrii quoddam genus est, interese deliciis, & tamen non superari. Harum si detur occasio, accedamus, sed in timore sancto, & in Dei præsentia. Et ne totum tempus tribuamus corpori, saltem circa medium refectionis, aut alterius honestæ refocillationis mentem colligamus, & ad ecclesiam, vel ad cœlum mittamus illò amoris suspiriò: *Anima Christi! sanctifica me!* Hic ne nostra deficiat memoria, preces mensales magna devotione, & attentione hodie recitemus cum psalmo: *Benedic anima mea Domino.* Ingratissimus est mortaliū, qui immemor Dei, dum in actuali fruitione Divini beneficii.

## III.

**F**ili! cur corpori, & cuti blandimur? S. Rosa jejuniis, & flagris in seipsam usque ad sanguinem copiosum defavit. Capiti suo coronam argenteis acuminibus hirsutam imprimit. Quò motivò? Ut in partem aliquam veniret dolorum Jesu. O nostram desidiam pro imitatione Christi! quid respondebimus in-  
terro-

XXXI. Augusti. S. Raymundi Nonnati. § 13

terroganti: *Quomodo vixisti?* Gaudeat mundus in rebus caducis & fluxis: Nos autem gaudebimus in Domino, & exultabimus in Deo Jesu & hoc Crucifixo.

*Instructio meritoria.*

Ne grave immineat nobis iudicium Dei, præveniamus operibus poenitentiae. Imminent solemnia festa? Imminet feria sexta? Recordemur, quò actu rigoris, aut mortificationis Christum, aut Sanctum, de quo festum, devotè veneremur. O si nulla hebdomas sine actu heroico! Ut fiat, flexis genibus SS. Rosarium de 7. doloribus hodie recitemus. Rosa etiam floret in mediis spinis, ciliis, jejuniis, ac disciplinis.

Festum S. Raymundi Nonnati  
ex Ordine sub titulo de Redemptione Captivorum.

EXHORTATIUNCULA I.

**M**iremur in parvulo virum. Puerilia oblectamenta extremè horruit Raymundus, tantámque pietati impendit operam, ut omnes in puero adultam suspicerent virtutem. Suspiciamus, ve-

Y 5

nere-

§ 14 XXXI. Augusti. S. Raymundi Nonnati.

neremur & nos, & tandem nos viros in spiritu, in zelo, & in vitæ exemplis probemus illustrissimos. Et hoc quamdiu jam à nobis expectat Deus?

*Instructio meritoria.*

Abstineamus hodie à jocis, facetiis, aliisque minùs decentibus nugis in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ, quæ multùm colitur, & honoratur bonis moribùs, & virtutum exercitiis. Serii in actionibus ut evadamus coram hominum oculis, coram Sanctissimo per integrum quadrantem erectis manibùs, & oculis clausis nos sistamus, & in honorem omnium virtutum, in quibus Christus se exercuit vivens inter filios hominum, oremus 34. *Pater & Ave.* Fiamus parvuli, sed cum sale Christianæ prudentiæ.

II.

**A**Nxius de vitæ statu Raymundus, coram icone Beatissimæ Virginis Mariæ humiliter flectit, ipsamque cœlitum Reginam, ut se in filium, & perpetuum adoptaret famulum, viamque salutis, ac scientiam sanctorum edocere digna-

dignaretur, enixè deprecatur. O charē mi! En! locum refugii pro nostris necessitatibus. Mariam consulamus, ne erremus in via. *In Maria*, ait B. Ephrem, *invenit captivus redemptionem, ager curationem, tristis consolationem, justus gratiam, & peccator veniam.*

*Instructio meritoria.*

Tria à manè petamus à Maria: 1. ut præsentem diem benedicat, atque sanctificet per Jesu, & manum propriam. 2. Ut nostris functionibus, negotiis, & obedientiis potenter assistat contra omnes inimicorum insidias. 3. Ut hæc ipsa dies sit dies pro Dei, & Mariæ augendo honore, & condigna dispositione ad horam mortis beatissimam. Ideò *tria Pater, & Ave* cum antiphona: *Sub tuum præsidium*, & oratione: *Concede nos famulos.* Quis taliter sibi timeat per diem?

III.

**R**aymundus vocatur à Maria ad S. Ordinem sub titulo de Redemptione Captivorum. O sollicitam pro ho-

§ 16 XXXI. Augusti. S. Raymundi Nonnati.  
mine Deiparam! Non sumus quidem in  
hoc S. Ordine; Sumus tamen in quoti-  
diana iuvandi proximum occasione.  
Subveniamus tristibus per consolatio-  
nem: Pauperi per eleemosynas: Despe-  
rabundis per exstimulationem piam.  
Audiatur S. Nazianzenus: *Esto calamito-  
so Deus, & Dominum in calamitate  
Deum invenies.*

*Instructio meritoria.*

Quod Maria ordinat, maximi esse  
momenti, oportet. Ordinavit S. Or-  
dinem de Redemptione Captivorum.  
Veneremur, & nos quoque collabore-  
mus, si inter barbaros non licet, fiat in-  
ter Christianos, pro quorum redemptio-  
ne à vinculis peccatorum, passionum, &  
vitiis offeramus totius hebdomadis  
opera, quibus annectamus pro fidelibus  
defunctis officium defunctorum cum  
uno Nocturno. Frater fratrem redi-  
mat. Maria sic optat.

SEP.